



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici**

**Leoni, Giovanni Francesco**

**Coloniae Agrippinae, 1682**

37 Matrimonia inter puberem, & impuberem contracta habent vim  
sponsaliorum de futuro.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10316**

Tridentin. canon. 1. de sacr. matrim. sess. 24.

34 Matrimonium ¶ aliud legitimum, & non ratum: aliud ratum, & non legitimum: & aliud legitimum, & ratum. Legitimum, ac ratum est, quod legitimo consensu in facie S. Matris Ecclesiæ contrahitur servata forma concilij Trident. c. 1. de reform. matrim. sess. 24. & c. fin. qu. 1. Matrimonium legitimum, & non ratum est; 37 illud, quod inter infideles legali institutione, vel Provinciæ moribus contrahitur, inter quos non est ratum, quia non est firmum sed est violabile, quia dato libello repudij licet eis ab invicem recedere, & alijs copulari, lege fori, & non lege poli, quam non sequuntur, dicto. c. fin. vers. legitimum. Ratum, & non legitimum est illorum fidelium, qui contemptis omnibus solemnitatibus, solo affectu aliquam sibi in conjugem copulant, ut in eod. c. fin. in fin. quod est probatum, atque concubinatus potius, 38 quam matrimonium dicendum, ita quod filij, qui ab eis nascuntur, non sint legitimi; quia inter catholicos nullum extat matrimonium, solemnitatibus non servatis, concil. Trid. c. 1. §. qui aliter, de reform. matr. sess. 24. & consummatum est quodlibet matrimonium carnali copula subsecuta, c. super eod. de cond. appost.

35 Rata verò, ¶ & non legitima sunt etiam matrimonia clandestina, à sacro concilio prohibita, ut dicto cap. 1. de reform. matr. clandestine verò contrahentes carnali copula subsecuta, non possunt cogi ad invicem matrimonium solemnizandum, servata forma concilij. Si verò sponsalia per verba de futuro, cum juramento contraxerint, tunc servandum est jus commune, ut in decis. super eod. cap. 1. §. qui con-

traxerunt. Matrimonia enim hujusmodi clandestina à concilio prohibentur, non autem promissiones, quæ matrimonia præcedere solent, sed factæ sicut ante concilium suat servandæ, cum sponsalia ¶ de futuro à concilio fuerint intacta, & remanserint in dispositione juris communis, ut super eod. cap. 1. fuit decisum, in decis. sub tit. Burgensat.

An autem matrimonia ¶ clandestina inter puberem, & impuberem, in sponsalia de futuro resolvantur, ex dispositione, c. 1. de desponsat. impub. lib. 6. sacra congreg. conc. censuit, hæc matrimonia resolvi in sponsalia de futuro, ut in decis. super d. cap. 1. sub tit. Valentin. & alia. sub nu. 396. proles vero suscepta in matrimoniis clandestinis, nisi servata forma concilij matrimonia convalidentur, erit illegitima, ut ibid. super eod. fuit decisum, in §. quid de prole.

38 Matrimonia contrahenda, ¶ in ecclesiis Parochialibus, sub quibus contrahentes commorantur, tribus festivis diebus, inter Missarum solemnias, tribus distinctis vicibus, à propriis contrahentium Parochis publicè debent denunciari, ut infra illum terminum, si aliquod legitimum obster impedimentum possit propalari, ita quod impedimento detecto, nec ad copulam, nec ad ulteriora procedatur, & si nullum legitimum opponatur impedimentum, ad celebrationem matrimonij in facie Ecclesiæ devenitur; ubi parochus, & viro, & muliere interrogatis, & eorum mutuo consensu per verba, vis, volo, intellecto, dicat, ego vos in matrimonium conjungo in nomine Patris, & Filij & Spiritus sancti, c. si inter de sponsal. c. cum inhihitio. de land. despons. & concil. Tridentin. cap. 1. de refor.